

modi sermonem bebeant: Nos urbem vobis dedimus cum liberam, tum eo situ & natura loci, ut nisi ipsi vobis desitis, nemo cogere vos possit: cur quæ hostes vestri optant, facere didicistis, homines maxime omnium, qui hodie sub cœlo degunt, liberi? cur imperium pulcherrimum, quod vobis constituimus, tam formidolose regitis? cur Patavium male ab hostibus custoditum, quod pene vestris sub oculis est, vosque appellat atque obtestatur, non recipitis? Quid illis obsecro respondeatis? primum scilicet, uni vos servisse tempori, quodque tempus postularit, id fecisse. Jam istud vobis omnes concedimus: tempori enim hostium perpulchre inservitum est: de hac urbe autem timere vos, ne amittatur, dicere non audebitis: neque opinor tam timide in Senatu locuti essetis, nedum etiam apud illos ipsos maiores vestros optimos fortissimosque viros, qui sciunt urbem hanc capi non posse, ejusmodi proferre quidquam audeatis: repescerent enim statim vos, repetentque a vobis parta gravibus verbis: quodque tam pusillo animo fueritis, conquerentur, qui, ne hoc imperii domicilium vestris ab hostibus tueri possetis, pertinueritis. Sed de eo plura me dicere minime necesse esse arbitror: urbs enim pro se ipsa satis loquitur, quæ obessa vadis undique, neque a justis classibus, neque a terrestribus exercitibus adiri se permittit. Itaque ad vos omnes revertar Patres: tota enim hæc vestra causa est. nam propterea quod imperio retinendo timidiores nos, quam par erat, præstitudinis, æquum est nunc in recuperando acres atque fortes esse, ut eam infamiam quam formidine contraximus, animi robore atque præstantia deleamus. Aloisium regem copiis dimissis Galliam ulteriore petere, certiores facti sumus. Maximiliano quam prompta sint quæ in bellum requiruntur, sane cognoscimus. Julius in alios quam sit largus, quam munificus, satis superque exploratum nobis est. quam binc longe absit Ferdinandus, etiam videmus. qui tamen ipsi si velint, si festinent bellum nobis facere, ut Patavium recuperent, æstas abierit: ita byemis beneficioris in annum alterum differetur. quid vultis amplius? quam occasionem aptiorem, opportuniorem a diis immortalibus po-